

inter se ineant : nam hujus liberae voluntatis in iis qui lege coguntur nullum est vestigium.

2^o Si quis eosdem officiales pecunia vel favore corrumpit ut falso declaretur militiae ineptus, fere omnes AA. eum obligant ad compensandum damnum quod inde patitur qui ejus loco militare cogitur. Rationem variam varii afferunt. Praecipua videtur quod hujusmodi officiales ex justitia commutativa tenentur fungi officio suo secundum leges, et propterea etiam singuli examinandi possunt jure stricto exigere ne officio suo desint. Nihilominus Lehmkuhl (l. n. 988) dubium injicit utrum haec obligatio officialium e justitia commutativa an e legali oriatur; Waffelaert (n. 443) probabile censet corruptentes et corruptos a restitutione erga militem substitutum excusari : quod etiam videtur logice affirmandum ab omnibus qui opinantur legem conscriptionis esse probabiliter injustam.

In tanta sententiarum varietate non censemus inquietandos qui existiment se ad nullam restitutionem erga substitutos teneri, vel etiam nullatenus peccasse nisi forsani levi mendacio : eo vel magis quod monitio saepe non proderit vel damnum reparari non poterit.

Manifestum est numquam, ob fraudes abhitas vel etiam corruptos officiales, ad restitutionem teneri eos qui lege divina vel naturali a servitio militari immunes sunt : hi enim summum peccabunt quia mediis illicitis jus suum prosequuntur.

III. Qui mercede conductus privati cujusdam locum in exercitu tenet, si hunc desereret, deberet omnia damna compensare quae inde orirentur ei qui eum conduxit : patet e contractu inito. Attamen, si justam haberet deserendi causam, ex. gr. quod saevitias intolerabiles pateretur, quod anima ipsius gravissimo periculo exponeretur, non teneretur nisi ad mercedem reddendam pro rata temporis quo conductor adhuc militare deberet ; si iste manet immunis, ad nihil obligatur, cum conductor solam immunitatem intenderit. Obligationes vero militis qui se unice erga Statum obligavit, facile patebunt e dicendis de contractibus.

N. B. Omitemus agere de reparatione damnorum quae milites in bello injuste intulerint. Quaestio enim, sicut parum practica est, ita facile solvitur ex supra dictis (n. 548) de damnificatione ac cooperatione injusta.

TRACTATUS IX.

DE CONTRACTIBUS.

SECTIO I. DE CONTRACTIBUS IN GENERE.

CAPUT I.

DE NATURA ET DIVISIONIBUS CONTRACTUUM.

578. DEFINITIO. Contractus, ex Jure nostro (a. 1101), dicitur conventio qua unus vel plures se erga unum vel plures alios obligant ad aliquid dandum, faciendum vel omittendum. (1)

Intellegitur *obligatio*, non quaecumque, puta ex fidelitate vel religione, sed ex justitia commutativa, ita ut sine injuria proprie dicta praetermitti nequeat id ad quod obligat. Duplex autem distinguitur obligatio : *naturalis*, quae e contractus natura oritur ; *civilis*, derivata a lege civili quae actionem tribuit ad obligationem naturalem urgendam.

Contractui similis est *quasi-contractus*. Hic praecipue oritur ex officio suscepto, ex. gr. tutoris, medici, etc., et ex stricta justitia adstringit ad procurandum bonum pupillorum, aegrotantium, etc. Fons hujus obligationis saepius est voluntas illius qui, sponte suscipiens officium vel negotium, censendus est eo ipso velle suscipere onera et obligationes eidem adnexas ; quandoque est ipsa lex quae etiam invito imponit officium cui obligatio ex justitia adnexa sit. (Lugo, de Just. et J. disp. 22. n. 5)

In omni contractu distinguere est :

1^o *Essentialia*, seu ea sine quibus contractus vel nullatenus, vel

(1) A recentioribus Juribus omitti solet distinctio quam veteres DD. cum Jure Romano statuebant inter contractum proprie dictum et pactum seu contractum late sumptum. De utriusque discrimine videsis Lugo. disp. 22. n. 1.

saltem in eadem specie, subsistere nequeat. Sic in contractu emptionis venditionis, sublato consensu mutuo, nullus habetur contractus; sublata obligatione solvendi pretii, fit donatio gratuita.

2^o *Naturalia*, seu ea quae contractui, vi legis positivae, consuetudinis vel aequitatis, insunt, nisi expressa conventionione excludantur, ex. gr. securitas emptori pro casu evictionis praestita.

3^o *Accidentalibus*, seu ea quae non insunt contractui nisi diserta paciscentium conventionione adjiciantur, ex. gr. ut statim solvatur quod, e commercii legibus, non nisi post annum solvendum foret.

579. DIVISIO. Distinguuntur contractus praecipue:

1^o In *unilaterales* et *bilaterales*. Hanc divisionem, quam multi AA. eodem sensu sumunt ac divisionem contractuum in gratuitos et onerosos, ita intellegit C. C. noster: unilaterales sunt contractus quibus unus pluresve se erga unum pluresve obligant qui nullam erga priores obligationem suscipiunt (a. 1103): bilaterales seu synallagmatici, quibus contrahentes mutuas obligationes suscipiunt. (a. 1102) Exemplum prioris speciei habes in commodato in quo commodans nullam suscipit obligationem; posterioris, in emptione venditione.

2^o In *commutativos* et *aleatorios*. Priores sunt illi quibus utraque pars se obligat ad dandam vel faciendam rem quae habetur tamquam aequivalens rei quae ab altera parte fit vel datur, ut in permutatione. Posteriores vero ii sunt in quibus aequivalentia non oritur ex re certa, sed ex spe probabili quae utrique vel saltem alterutri parti conceditur, ut in contractu assecurationis vel ludi. (aa. 1104 et 1164)

3^o In *gratuitos* et *onerosos*. Priores illi sunt quibus una pars alteri commodum gratuitum praestat (a. 1105), ut in donatione; in posterioribus vero, loco ejus quod accipitur, aliquid aliud reddi debet, ut in locatione. (a. 1106) *Mixtus* dicitur si minus reddendum est quam datur.

4^o In *sollemnes* et non *sollemnes*, prout, in Jure civili, valent tantum quando certis quibusdam formalitatibus confecti sunt, vel valent etiam absque formalitate legali, servatis tantum condicionibus juris naturalis. (a. 1139) Ita hypotheca est sollemnis contractus, cum non valeat nisi a notario sub formis legalibus fuerit conscripta.

5^o In *consensuales* et *reales*, prout solo partium consensu perficiuntur, ut (in Jure nostro) emptio et locatio, vel praeterea postulant rei de qua convenitur traditionem, ut commodatum.

6^o In *nominatos* et *innominatos*, prout in Jure certum nomen habent vel non habent. Sub Jure nostro unicum discrimen inter utrosque in eo est quod contractus nominati non tantum subjacent generalibus regulis de contractibus datis, sed etiam specialibus legibus quas pro singulis eorum speciebus C. C. continet. (a. 1107)

Alias quasdam divisiones, quas multi AA. recensent, omisimus, vel quia in Jure nostro obsoleverunt, ut divisiones in contractus nudos et vestitos, bonae fidei et stricti juris, vel quia ex ipsis terminis earum sensus patet, ut divisiones in contractus expressos et tacitos, absolutos et condicionatos.

Ad contractum efficiendum tria concurrere debent: personae habiles, materia apta, consensus validus. De his singillatim dicemus.

CAPUT II.

DE PERSONIS CONTRAHENTIBUS.

580. I. Spectato tantum jure naturali, ii omnes et soli contractus valide ineundi incapaces sunt qui usu rationis carent, ut infantes, ebrii, amentes, etc. Nam, sine actu humano, nulla obligatio gigni, ac proinde nullus contractus iniri potest; neque alia ratio universalis inhabilitatis e jure naturae affertur.

II. Ex Jure civili, contractus validos inire possunt omnes qui jure naturae apti sunt, nisi id ipsis specialiter prohibeatur. (a. 1123) Specialiter autem prohibentur, non quidem absolute, sed intra certos limites lege determinatos: minores, interdicti et uxores. (a. 1124 seqq.)

III. *Minores* nondum emancipati valide quidem contrahere possunt, etiam sine tutoris assistentia; nihilominus omnium contractuum *per quos laesi fuerint* rescissionem petere possunt. Minores autem emancipati beneficio rescissionis non gaudent, nisi cum laesi fuerint in iis contractibus qui eorum habilitatem ad contrahendum, qualis a C. C. (a. 481 seqq.) determinatur, excedunt. (a. 1305) Quosdam vero contractus, ut mutuum, lex civilis (a. 457) nullos declarat quotiens a minore fiunt, etiamsi is nullatenus laesus fuerit.

Hinc contractus cum minore iniri, a parte quaecumque contraxit servandi sunt: beneficium enim rescissionis minoribus, non autem iis quibuscum minores contrahunt, conceditur. Potest etiam altera pars, quae bona fide contraxit, exigere ut minor exsequatur contractum, donec a iudice rescissionem obtinuerit; saepe tamen caritas jubebit obligationem sponte remittere ne minor, cum magno incommodo, ad iudicem recurrere debeat. Notandum quoque in quibusdam specialibus contractibus certas sollemnitates a Jure requiri, quibus neglectis, actus declaratur prorsus nullus. Cfr. C. C. (aa. 457-467)

Semper tamen manet minor obligatus ad restitutionem, si quando alteram partem *mala fide* laesit vel ex aliena re ditior factus est : unde in hujusmodi casibus applicandae regulae datae in tr. de Just. et Jure circa restitutionem ex re accepta vel ex injusta acceptione. Ideo et ipsa lex civilis (a. 1310) declarat minorem non restitui contra obligationes e suo delicto vel quasi-delicto ortas. Ast si minor *sine fraude* egit, potest probabilius uti beneficio legis etiam in conscientiae foro, quamvis inde altera pars detrimentum passura sit. Exemplum habes in eo qui bona fide mutuum pecuniam accepit et dissipavit, vel luxuriose vivendo aes alienum contraxit, dummodo nihil e rebus acceptis in se vel in aequivalenti retineat. Nam lex civilis, inhabilitatem quamdam minoribus apponendo, intendit impedire ne minor bona sua dilapidet et viri nequam ejus imperitia abutantur : quem finem non sufficienter obtineret nisi obligationem e talibus contractibus ortam tolleret, etiam in conscientiae foro. Quare ii qui mala fide vel imprudenter hac ratione cum minoribus contrahunt, damnum quod patiuntur sibimetipsis imputent. Igitur illi, nec quando majoritatem adepti sunt, in rigore juris, talia debita solvere debent. (Marres, de Just. l. 3. n. 127 seqq. ; Allègre, Le Code civil comm. a. 1305)

581. IV. Interdicti, in Jure nostro, ii tantum sunt qui, ob amentiam, tales a tribunalibus declarati et minoribus assimilati sunt. (C. C. a. 509)

Eorum actus omnes sunt rescindibiles, etiam ii quibus minime laesi fuerint. (a. 502) Eos coram iudice aggredi possunt tantum ipsi interdicti vel alii qui eorum jura tuentur. (a. 1125) Iudex autem, secundum leges, pronuntiare debet nullitatem omnium actuum quos interdictus fecerit a die quo talis renunciatus est; immo et eorum, quos antea fecit, dummodo probetur eum jam tum amentem exstitisse. (a. 503) Similiter rescindendi sunt a iudice contractus omnes initi ab amentibus qui interdicti non sunt, sed in hospitio amentium collocati sunt. Cfr. legem 18 Junii 1850, a. 34.

Aliquam cum interdictis affinitatem habent qui, ob capitis debilitatem vel ob prodigalitatem, sub auctoritate consilii iudicarii collocati sunt. (aa. 499, 513) Horum actus rescindibiles sunt tantum quando sine assistentia consilii iudicarii ab interdictis perfecti sunt in iis argumentis quae ipsis speciatim per leges prohibentur, ut puta alienare, hypothecae subijcere, mutuari, etc.

582. V. Uxor nullos actus juridicos ponere potest, sine speciali et scriptis mandato mariti sui consensu; quodsi maritus consensum denegat, si abest, vel minor aut interdictus est, tribunal primae instantiae, in cujus territorio domicilium habent conjuges, hanc facultatem praestare potest. (C. C. a. 217 seqq.)

Actus autem quos uxor sine hujusmodi consensu inierit, non sunt ipso jure nulli, sed rescindibiles : horum rescissionem petere possunt tantum ipsa uxor et maritus eorumque heredes. (a. 225) Neque ulla laesio requiritur ut isti hanc rescissionem, etiam in foro conscientiae, petere possint.

Quaedam tamen exceptiones ab ipsa lege civili huic generali inhabilitati uxoris ad firmiter contrahendum apponuntur :

1° Uxor absque mariti consensu testari potest. (a. 226)

2° Uxor, quae commercium separatum gerit, potest se obligare in iis rebus quae ad hoc commercium pertinent : quo casu etiam maritum obligat si inter eos datur bonorum communitas. (a. 220)

3° Uxor potest in contractu matrimonii accipere generalem facultatem libere administrandi bona sua. (a. 223)

In foro conscientiae semper attendendum est, ut supra de minoribus dictum, obligationem restituendi oriri posse, etiamsi contractus rescindatur, ex injusta damnificatione vel rei alienae detentione. Pariter uxoris sine fraude contrahentibus licet probabilius uti legis beneficio, quamvis altera pars inde detrimentum passura sit.

CAPUT III.

DE MATERIA CONTRACTUS.

583. Materia seu objectum contractus esse potest quidquid honestum est liberaeque contrahentium voluntati subjacet, sive res, sive actio, sive omissio.

Hinc deducuntur *condiciones* requisitae in contractuum materia. Haec esse debet :

1° *Possibilis*, tum physice (ut per se liquet), tum moraliter. Attamen quando res est tantum lato sensu impossibilis seu difficillima, absolute loquendo potest aliquis se ad eam praestandam obligare ; sed non est putandus id voluisse, nisi id clare constet. Quodsi res partim possibilis, partim impossibilis est, praestanda erit quoad partem possibilem, nisi ex natura rei vel contrahentium intentione pateat obligationem exstitisse vel ad totum vel ad nihil. Insuper qui alterum decepit, promittens rem quam norat esse impossibilem, tenetur ad damnum e fictione ortum compensandum. Cfr. n. 585.

2° *Exsistens* vel in re vel in spe, ut fructus praedii nondum nati : secus enim materia fieret impossibilis, et eadem fere dicenda essent ac supra ad 1^{um}.

3° *Unius e contrahentibus propria* : nemo enim in alium transferre potest jus quod non habet. Videndum tamen num forsitan lex civilis suppleat id quod e jure naturali desit, ut in venditione rerum alienarum in quibusdam adjunctis. Cfr. n. 492.

4° *Aliqua ratione determinata*, vel in specie vel in quantitate : nam omnino indeterminata materia, ut contractus emptionis circa animal in genere vel frumentum, conventionem illusoriam efficeret.

N. B. In C. C. (a. 1128) requiritur etiam ut res de qua contrahitur non sit extra commercium posita. Hanc tamen condicionem Jurisperiti, ex. gr. Laurent (Cours él. de Droit civ. t. II. n. 533), dicunt intellegendam esse tantum eo sensu quod pacta privata nequeunt adversari fini propter quem lex quasdam res, ex. gr. munera publica, plateas, libertatem personalem, etc. extra commercium ponit, non autem eo sensu quod quilibet contractus circa tales res invalidi sint.

5° *Honesta*. Nam fieri nequit ut quis per conventionem se obliget ad aliquid dandum vel faciendum quod lege in conscientia obligante omittere teneatur : secus simul daretur obligatio ad idem et faciendum et omittere, quod repugnat. Ideo, antequam contractus turpis, seu de re inhonesta, executioni mandatus sit, dubium nullum est quin sit restituendum id quod jam pro turpitudine patrandi acceptum fuerit, puta si quis e contractu accepisset pecuniam ut alium occideret, infamaret, etc. Cave tamen ne confundas istum casum cum eo quo, sine ulla stipulatione expressa vel tacita, aliquid daretur ea intentione ut altera pars ad peccandum alliceretur, puta si juvenis puellae munera daret ut eam ad fornicandum induceret, si quis custodi pecuniam solveret eo animo ut officio suo deesset, etc. Haec enim, tamquam gratuita donationes, etiam ommissa actione prava quae intendebatur, retineri possunt. (S. Alph. l. 4. n. 712) Attamen, in materia luxuriae, cavendum a scandalo, cum facile acceptatione vel retentione turpis amor donantis foveri possit. (Lugo, disp. 18. n. 51)

584. **QUAER.** Num, turpi contractu ad effectum perducto, pretium de quo conventum est dandum sit vel (si jam datum fuerit) retineri queat in conscientia.

RESP. Speculative omnino affirmandum est ad utrumque. Nam is qui pretium promisit, determinavit quanti vellet remunerare actionem alterius, quae in se erat aliquo pretio aestimabilis, puta ob laborem, ignominiam vel periculum annexum. Cum ergo altera pars hanc actionem posuerit, qui pretium promisit jam huic suae determinationi stare debet, nisi haec foret omnino prodiga et ad justos limites reducenda, vel legibus positivis hujusmodi contractus prorsus nullus declararetur. Hanc sententiam fere unanimes tenent AA. veteres, ut fuse ostendit Ball. P.

n. 61 seqq. Contrariam tamen sententiam pauci quidam amplectuntur, ut Collet (de Just. et J. p. 4. c. 1. a. 4) et Carrière (de Contr. n. 331). Horum rationes valde infirmae sunt. Frustra enim arguunt non posse decursu temporis fieri validum contractum qui ab initio fuerit nullus. Nam id minime a communis sententiae fautoribus asseritur. Reapse contractui nulli, quo quis promisit rem turpem, inest implicite alter contractus innominatus *do ut facias*, qui non constat promissione, sed operis positione, neque, antequam opus perfectum fuerit, ullam vim habet. Logice etiam ex illa paucorum sententia defluerent consecutaria quae neque ipsi ejusdem fautores admittunt, ex. gr. juvenem qui puellam sub promissione matrimonii defloravit, non teneri ad eam ducendam, nec solvendum esse salarium de quo conventum fuerit pro opere servili quod illicite die Dominica assumeretur. (Lehm. I. n. 1053)

Practice tamen qui nondum solvit pretium non videtur ad id obligandus. Nam eum a solutione liberant ii omnes qui dubia principio possessionis dirimunt et sententiam negantem ut probabilem habent, S. Alphonsum (l. 4. n. 712) secuti. Ita Aertnys (l. n. 386), Mare (l. n. 1036), etc. Insuper is qui ad reddendum pretium acceptum per juridicam sententiam cogere, id in conscientia praestare teneretur, cum lex quam haec sententia applicaret justa esset.

N. B. Praeter tria elementa contractus supra enumerata, C. C. noster (a. 1108) recenset causam licitam in obligatione. Hoc nomine *causae* legislator intendit motivum juridicum quo partes ad contrahendum inductae sunt. Hoc motivum in contractibus onerosis cum objecto identificatur; in contractibus gratuitis, cum consensu seu donandi voluntate. (Laurent, l. c. n. 538) Ideo quae de causa dici possent, satis intelliguntur ex iis quae de objecto et consensu hic traduntur.

CAPUT IV.

DE CONSENSU.

§ I. DE QUALITATIBUS IN CONSENSU REQUISITIS.

585. Ut consensus validum contractum efficiat, oportet ut sit :

I. **Internus.** Ratio est, quia per contractum aliquod jus, quod nostrum est, ad alium per nosmetipsos transfertur : hoc autem sine volun-